



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Ss. Martyrvm Crvciatibvs Antonii Gallonii Rom. Congregationis Oratorii Presbyteri Liber

Gallonio, Antonio

Romae, 1594

De Rotis, Trochleis, & Torculari, instrumentis torquendi. Cap. Secvndvm.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10704

*De Rotis, Trochleis, & Torculari, instrumentis
torquendi.*

CAP. SECVNDVM.

EXplicatis generibus suspendendi, cruceq. & stipitibus, reliquū est modo aggredi ad alia cruciandi instrumenta pertractanda. At quoniā prænотата, equuleo addito, haud dubie ceteris terribiliora horribilioraq. videtur: idcirco de illis erit nobis hoc loco agendum, & de equuleo capitulo post sequenti. Iam vero ad rotæ supplicium, quod enumeratis grauius reputatur, accedentes, dicimus fuisse huiusmodi genus cruciamenti Græcis vsitatum: & hoc quidem innumera nos pene eorumdemmet cum certa, tum aperta testimonia docent. Aristophanes siquidem in Pluto: In rota, inquit, te alligatum oportet dicere, quæ male egisti.] & inibi scholiastes: Rota quædam erat, in qua alligati serui puniebantur.] Ad hæc prædictus Aristophanes in Lysistrate: Heu me miserum (habet) quænam membrorum conuulsio, quænam membrorum extensio me tenet! tamquam sim tortus in rota.] de eadē etiam meminit Anachreon apud Athenæum lib. 12. dicens: Multa quidem positus in ligno passus sum in ceruice, multa in rota.] Huic proxime accedunt Demosthenes in Aphobū orat. 3. Ponamus enim (narrat) Miliā in rota torqueri.] & Plutarchus in Nicia, vt in Græcis codicibus legitur: Cum tonforē rotæ alligatum amplius torquere cœpisset.] & lib. de audiendis poetis: Rotæ affixum.] & de loquacibus: Cum dereliquerint in rota alligatum] & cetera. Item Lucianus in epist. ad Steficorum, his verbis: Qui autem circa extremitates circumcidebantur, torti sunt, & in rotis distenti.] & Suidas verbo rota: Rota, ait, erat instrumentum tortorium, & extendens corpora. Vnde Aristophanes: In rota flagellatus trahatur. Sic serui in rota ligati verberabantur. Et rursus: In rota oportet te dicere, quæ male egeras. Item torqueri in rota inquisitos, vt detegant, quæ cum alijs conscij sunt, & quæ iniuste egerunt. Similiter rota lignum quoddam erat, in quo ligati serui puniebantur.] hæc Suidas. His consentientia scribere videtur Phalaris in

E

vna

vna ex suis epistolis, in qua, In rotis (legitur) flectebantur, seu vertebantur.] In horum denique confirmationem adijci possunt ea, quæ cum a quibusdam ex supradictis auctoribus, tum ab alijs de Ixione rotæ volubili alligato, & perpetuo in illa, vt poenas meritas debitasque persolueret, volutato, narrantur. sunt hi Pindarus in Pythia ode 2. scholiastes eodem loco, & Homeri Iliados primo Didymus Odissea 21. Lucianus in Deorum dialogis in Iunone. Ouid. in inferorum poenis describendis metamorph. 4. Propertius elegiarum lib. 4. elegia vltima, Seneca, & demum Claudianus Alexandrinus de raptu Proserpinæ lib. 2. præterea de rotæ tormento meminerunt etiam alij, nimirum Iosephus lib. de Machabæis 5. sic autem habet: Aliqui noluerunt pollutos cibos edere: hos in rota tortos, iussit interfici.] ibidem: Ad hæc rotas para, & igne effla vehementius.] & cap. 8. Vt autem & rotas & fidiculas apposuerunt satellites, subiungit Tyrannus, &c.] idem cap. 9. Vnde iussi satellites seniore[m] ipsum adduxerunt, & tunica disrupta, ipsius manus & pedes ligauerunt loris vtrinque: vt autem qui verberabant flagellis defessi sunt, cum nihil proficeret, eum circa rotam erexerunt, circa quam extensus generosus iuuenis articulis disruptus est, & omnia eius membra fracta sunt,] post pauca: O scelerati ministri, dixit iuuenis: Rota non ita est vobis potentior, vt meam rationem suffocet: incidite mea membra, & ignite carnes, & torquere articulos streblis. Sic eo dicente, ignem substrauerunt, & diuiserunt, per rotam insuper extendentes. Polluebatur autem vndique rota sanguine; & cõditorium vbi strues erat carbonum, ob guttas cruorũ, qui profuebant, extinguebatur, & circa instrumenti axes circumfluebant carnes, & circumquaque incisam iam habens ossium coniunctionem. Magnanimus autem Abrameus iuuenis non ingemuit, sed ac si in igne transformaretur in incorruptionem, generose sustinebat streblas] id est, tormenta. & cap. 10. idem: Arthrembolis organis & manus & pedes illius in articulis disruperunt, & ex compagibus amouentes venteribus detruncabant, & digitos, brachia, crura, cubitos compungebant: & cum nulla ratione eum vincere possent, corium cum summis digitorum detrahebant, & statim ad rotam adduxerunt,

Streble instrumentum erant ad luxandos artus accommodatum, sicuti etiam Arthrembola.

xerunt, circa quam e verticulis membrorum confractus videbat
 suas carnes dissectas, & e visceribus guttas sanguinis defluentes.]
 Et cap. 10. sic: Satellites eum ligatum traxerunt ad catapultas:
 ad quas cum eum ligassent ad genua, & hæc cum laqueis ferreis
 conglutinassent, ipsius lumbum circa rotundum cuneum defle-
 xerunt, circa quem totus circa rotam repercussus confringe-
 batur.] & paulo post: Adiunxerunt, ait, ad rotam, in qua disten-
 sus succendebatur, & verua acuta & ignita afferebāt dorsis, & la-
 tera penetrantes, & viscera penetrando vrebant.] hæc Iosephus a
 Reuerendis. Episcopo Lessanensi, de quo supra cap. præcedenti
 fecimus mentionem, nostris precibus Latinitate donatus: præter
 quæ, de rotis etiam nonnulli alij, vt Apuleius de Asino aureo lib.
 3. Nec mora, inquit, cum ritu Græciensi ignis, & rota, tum omne
 flagitiorum genus inferuntur.] & lib. 10. Nec rota, vel equu-
 leus more Græcorum tormentis eius apparatus iam deerant.]
 Cicero Tuscul. quæst. lib. 5. In eo etiam putatur dicere in ro-
 tam vitam beatam non ascendere.] hæc ille. Virgil. Aeneid. 6.
 Radijsq. rotarum Districti pendent.] Iulius Capitolinus in Ma-
 crino sic: Tribunum, qui excubias deferi passus est, carpento
 rotali superannexum per totum iter viuum atque exanimem
 traxit.] Ammianus Marcellinus lib. 21. S. Basilus homil. in 40.
 martyres, his verbis: Ignis insuper paratus, ensis in promptu,
 crux affixa, bothrus, rota, flagella.] & homil. in sanctum Gor-
 dium Centurionem: Corpus rotis scindatur.] Gregor. Nazianze-
 nus orat. 22. in laudem Machabæorum, & Nicephorus lib. 7.
 cap. 14. de hismet rotis plura, præter hos omnes, Acta marty-
 rum nonnulla, nominatim Pantaleemonis, alias Pantaleonis a Me-
 taph. Surijs tom. 4. relata, a Mombratio tom. 2. & a veteribus
 manuscriptis cum nostris, tum aliorum in sanctorum festiuitati-
 bus mense Iulio celebrari solitis: Clementis Ancyfani ab eodem
 Surio ex eodem Metaphr. tom. 1. Christina virginis a codici-
 bus nostræ bibliothecæ manu exaratis, a Petro lib. 6. cap. 130. &
 Mombratio tom. 1. Calliopij a Metaphraste Surijs tom. 2. Geor-
 gij, & Catherinæ virginis a veteribus manuscriptis, & a Meta-
 phraste prædicto, primi apud Surium tom. 2. & alterius, id est,
 Catherinæ, apud eundem tom. 5. Euphemie item virginis a

*Catapultæ non-
 numquã sumitur
 pro machina bel-
 lica ad iaciendas
 sagittas fabrica-
 ta, sicuti balistæ
 ad iaciendos lapi-
 des; hic autem su-
 mitur pro instru-
 mento torquendi.
 hinc Suidas ait
 esse tormenti ge-
 nus, dicens, vincu-
 lis manuum, cata-
 pulis pedum. &
 Plautus, te nervo
 torquebo itidẽ, vt
 catapultæ solent.*

*Bothrus (vt legi-
 mus tercio Anna-
 lium Eccl.) idem
 erat quod Culle-
 us, de quo infe-
 rius suo loco.*

Momb. tom. 1. & SS. Felicis ac sociorum a Petro lib. 4. cap. 83.
& a Surio tom. 5.

Rotæ itaque (sicut ex martyrum historijs potissimum colle-
gimus) non vnius tantum generis extitere , sed multiplicis : ali-
quæ siquidem , quæ in rebus gestis sanctorum machinæ nuncu-
pata reperiuntur , latae & magnæ , aliquæ vero arctæ : & de vtrif-
que erit nobis hoc loco agendum .

Quod igitur ad rotam primi generis spectat , de qua Nicepho-
rus , & Pantaleemonis Acta ; sciri debet , adiuventam fuisse , vt in
montem aliquem excelsum allata , ibi conuexo eius reus vinci-
retur , & deinde ex eiusdemmet montis cacumine simul cum
damnato per præcipitem lubricamq. viam vi deorsum , ad sin-
gula alligati membra comminuenda , demitteretur ; quocirca de
gloriosissimo Christi martyre Pantaleemone hæc in eius rebus
gestis , quas in nostræ bibliothecæ veterū manuscriptorum tom.
6. habemus , leguntur : Et dixerunt ei ; Iube fieri rotam magnam ,
& tolli in altum montem , & alligari eum fac super rotam , &
demitti deorsum per montem , vt carnes eius malis pœnis dissi-
pentur , & sic spiritum reddat . Ductus est autem beatissimus
Pantaleemon in carcerem , donec fabricaretur rota : cumq. fa-
cta fuisset , præcepit Iudex , vt nunciarent præcones per ciuita-
tem , vt congregarentur omnes expectantes perditionem beati
Pantaleemonis , & iussit eum adduci . Cum autem duceretur san-
ctus Christi martyr , psallebat Domino in Christo : & tenentes
eum ministri , ligauerunt eum super rotam ; & cum cœpissent vol-
uere rotam , statim ligaturæ ruptæ sunt , & sanctus martyr sta-
bat incolumis ; rota autem currens occidit de gentibus animas ,
&c.] hucusque Acta : quibus sane docemur , verissima esse quæ
de primi generis rota asseruimus .

Fuerunt in Christianorum carnificina ipsis Gentilibus vsui
quædam rotæ latae , quæ conuexa , quibus ij ligabantur , habe-
bant gladijs , clavisq. acutis , & alijs his similibus adacta . hu-
iusmodi ergo rotis , quæ in aere pendentes stabant , martyres nu-
dos ministri iniquitatis funiculis vinciebant , quos deinceps si-
mul cum ipsismet rotis supra ferrea quædam terræ affixa pun-
gentia atque scindentia maximo cum impetu iterum atque
iterum

iterum voluentes, erant in causa, vt carnes hoc supplicio affectorum miserandum in modum discerperentur, atque dilacerarentur. In consimili rotæ tormento putamus B. virginem Christi Catherinam martyrio coronatam fuisse, vt Acta, tam a Metaphraсте descripta, quam veteribus manuscriptis contenta, aliqua ex parte demonstrant.

De Rotis alterius generis.

Rotis quoque non tantæ latitudinis, quantæ prædictæ, utebantur dæmonum cultores ad Christi fideles excrucianos; in quorum conuexis sæpissime sic acutos clauos, & id genus alia configebant, vt eorum cuspide sursum verso ipsis emerent rotis. his itaque hoc modo dispositis, ligabant martyres, qui cum ab illorum acumine, tum ab aliorum quorundam, quæ terræ fixa inerant, misere dilaniabantur. Vnde in Actis S. Georgij a Metaphraсте Suriij tom. 2. recitatis hæc narrantur: Iube igitur, Imperator, rotam afferri mucronibus vndique præfixam, ad eamq. virum sanctum alligari, id est (vt vetera manuscripta) super eam.] Deinde Acta: Paratisq. in ea gladijs dilacerari. Pendebat in aere rota, inferius autem aderant tabulæ, in quibus densissima erant spicula præfixa, gladijs similia, partim rectas habentia cuspides, partim aduncas ad hamorum similitudinem, partim cultros coriarios imitantia. Cum igitur rota per girum tabulis appropinquaret, & vir sanctus tamquam agnus tenuioribus loribus & funiculis ita constrictis, vt intra carnem absconditi inhaerent, vinctus esset, & per gladios, volente rota, transire cogere, acutissima eorum acie corpus exceptum dilaniabatur, & scorpionum more contortum dissecabatur.] hucusque res gestæ.

Obseruare hoc loco in primis oportet, consueuisse Gentes, martyres rotis alligatos, virgis ac fustibus, dum in ipsis voluebantur, crudeliter cædere: cuius rei Acta B. Clementis Ancyranum supra citata his verbis exhibent testimonium: Iubet Præses rotæ martyrem, id est, Clementem, ligari, & rotam quidem verti magno impetu, martyrem autem virgis verberari crudelissimis: statimq. martyr fuerat alligatus rotæ: rota vero vertebatur celeriter

leriter : martyr autem quando erat quidem in rota sublimi , tra-
debatur ijs , qui verberabant : quando vero rota eum sub se fere-
bat , corpus eius acerbe conscindebatur , & ossa conterebantur .]
hæc Acta , quæ plane dicta a nobis superius confirmant .

Sciri insuper debet , non satis Gentilibus fuisse ad odium
suum in nostros conceptum explendum , tot genera cruciamen-
torum , quibus Christianos rotis vinctos afflictabant ; quin etiam
eamdem ob causam noua alia excogitare non desistebant : hinc
fiebat vt eos rotis nonnumquam mucronibus vndique affixis li-
gatos super appositum ignem maxima cum velocitate semel at-
que iterum ac sæpius circumagerent : quare eo prorsus modo ,
quo carnes verubus fixæ , & igni admotæ affari coquiq. solent ,
ita pariter sic circumuoluti , vt Christi mundus panis efficeren-
tur , assabantur . Vide Acta a nobis nuper notata Christianæ vir-
ginis , & Calliopij martyris , in quibus hæc scripta comperies :
Rotam , inquit , Præfectus scilicet , satellitibus suis , collocatæ , &
magnum ignem succendite . cui tanta vi alligatus est adolescens ,
vt totus discerperetur . Statim igitur accedens Angelus Dei ,
flammam carbonum extinxit ; & ministri cum vellent rotam vol-
uere , non poterant ; delicata autem ipsius membra totam ro-
tam sanguine consperferunt ; erat enim acutis gladijs circummu-
nita .] hæc Calliopij res gestæ . Rotis ergo ligati martyres ,
& cum ipsis super ignem circumacti , ad nobilissimam martyrij
palnam fauste , feliciter , prosperèq. peruenire meruerunt .

*De martyribus
radijs rotarum
intextis.*

Præterea mos fuit apud eosdem impios homines , vt in singu-
lis rotarum interstitijs , prædictis adhuc arctioribus , sic membra
Christi fidelium vectibus primum ferreis confracta immittere
atque inferere curarent , vt quasi intexti radijs viderentur : de-
inde rotas in erectorum stipitum terra fixorum eminentiori par-
te collocantes , diu hoc prorsus modo eos viuere sinebant . Hu-
iusmodi cruciatu , cuius etiam meminit Gregorius Turonensis
de rebus gestis Francorum lib. 6. cap. 35. Valentia in Gallia in
Ecclesiasticis tabulis affecti reperiuntur Felix presbyter , Fortu-
natus & Achilleus diaconi , qui a beato Irenæo Lugdunensi
Episcopo illuc ad prædicandum Dei verbum directi fuerant .
Iege eorum Acta a Petro relata lib. 4. catalog. cap. 83. a Su-
rio

rio

rio tom. 2. & a Martyrologijs nono Kalend. Maij.

Valde insuper nobis probatur, rotas illas, quæ (sicut in ali-
quibus martyrû Actis legitur) erant vsui ad Christianorum cor-
pora extendenda, vel fuisse trochleas, vel equuleum: his enim
quæ rotulas aliquas continebant, vnde & rotæ poterant nuncu-
pari, Christi fidelium corpora potissimum discerpebantur; vel
certe non fuisse a rotis ante dictis diuersas, sicuti Calliopij res
gestæ paulo ante a nobis citatæ non obscure innuere videntur:
namque habent, tanta vi rotæ fuisse funiculis alligatum, vt ante-
quam tortores eam circumagere inciperent, iam fuerit sanctus
iuuenis dilaniatus totus, totusq. discerptus. Et de hoc acerri-
mo cruciatus genere satis.

*De rotis quibus
martyrum corpo-
ra extendebantur.*

De Trochleis.

Trochlearum, quæ martyrij erant instrumenta, mentionem
faciunt Eusebius historiæ lib. 8. cap. 10. & sanctorum Acta
quamplurima, speciatim Crispini & Crispiniani a Surio tom.
5. recitata, Fereoli presbyteri & Ferutij diaconi a Petro catal.
lib. 5. cap. 120. Quintini ciuis Romani a Surio tom. similiter 5:
Sanctorum septem fratrum a Mombritio tom. 1. & a veteri-
bus nostræ bibliothecæ codicibus manu exaratis sub B. Sym-
phorosæ eorum matris inscriptione; Benigni item presbyteri
a Mombritio tom. 1. & a Petro lib. 10. cap. 3. præterea memi-
nit etiam de trochleis Gregorius Turonensis de rebus gestis
Francorum lib. 5. cap. 49. cum ait: Extensus ad trochleas, cæ-
debatur fustibus, virgis, ac loris duplicibus.] & lib. 6. cap. 8.
In terra extenditur ad trochleas, virgis ac fustibus cæditur.]
& cap. 35. Tunc extensus ad trochleas, tandem loris triplici-
bus cæsus est.] & lib. 7. cap. 32. Rex furore succensus iussit eos
ad trochleas extēdi, & fortissime cædi, vt si vera, &c.] hæc Gre-
gorius Turonensis, cuius citata capita si attentius spectentur,
colligetur sine dubio eiusmodi tormenti genere maleficos præci-
pue, impiosq. homines & homicidas tortos & excruciatos
fuisse: quocirca nulli mirum esse debet, si veri Dei cultores pro
eius honore pugnantes a Gentibus fuerint vel trochleis exten-
si, vel

*Quinam essent,
qui trochleis ex-
cruciarentur.*

si, vel eleuati; ab his etenim omnium hominum & sceleratissimi & flagitiosissimi habebantur.

Trochlea quid significet.

Trochlea quid.

Trochlea (vt ex Vitruuij lib. 10. cap. 2. 3. 4. 5. & 11. constat) tractorij generis est machina, cum æreo, aut ligneo orbiculo, siue rotula, quæ per axiculum versatur traiecto fune ductario. vtimur hac machina, vel subleuandis ad altitudinem & operum collocationes oneribus, vel demittendis, vel saltem iisdem hinc inde asportandis, & denique haurienda e puteis aqua.

Trochlea vnde dicitur.

Ceterum trochleæ (teste Isidoro etymolog. lib. 19. cap. 11.) fiunt ad similitudinem, Θ, litteræ Græcæ octauæ, nominanturq. a trochlis, id est, rotulis. Ex his ergo consequitur, errasse ex recentioribus, qui trochleam, ergatam, id est, arganum (vt vocant) esse putarunt: nã licet non possit trochlea damnatorum corpora discerpere absque speciali alicuius adminiculo, siue pali, cui esset alligata, siue machinæ, quæcũque illa fuerit; non tamen ex hoc inferri debet, ergatam fuisse, sed tantummodo indignisse aliquo: & hoc nos asserimus. Quoniam enim sæpissime huiusmodi cruciatus genere reorum corpora miserabiliter extendebantur; idcirco nobis valde probatur, duritiam præcipue discerpenti corporis, & commoditatem facilitatemq. tortorum spectantibus, adhibitam fuisse etiam machinulam aliquam, videlicet ergatam, aut quid simile. lege, si libet, loca Vitruuij, de quibus supra fecimus mentionem, & plane videbis trochleam non esse ergatam, nec ergatam trochleas.

De trochleis quid senserint quidam ex recentioribus.

Quenã erat machinula, que simul cũ trochleis erat in vsu apud veteres ad damnatorum corpora discerpenda.

Denique vnum quoque te aduertere volumus, nempe figuratam esse in priori huius capituli parte ergatam cum trochlea, non quasi vnum & idem illa essent, sed vt ostenderemus probabilitate non carere, fuisse reos, ob eam quam nuper tetigimus rationem, ambobus hisce instrumentis dilaniatos. Diximus, non improbable: quia alijs modis contingere potuit, vt forte contigit.

De modo, quo martyres trochleis dilaniabantur.

Verum modus, quo Christiani hoc instrumento torquebantur, erat huiusmodi. Desigebantur primum humi tot stipites, quot erant hoc supplicio afficiendi; deinde a constitutis ministris

martyres

martyres manibus quandoque, quandoque pedibus, hinc funibus trochlearum, hinc stipitibus alligabantur: quo facto, trahitis iussu Iudicum funiculis, misere ipsorum corpora extendebantur. hæc omnia indicant Acta filiorum B. Symphorosæ martyris superius citata, & Gregorius Turonensis pariter lib. 6. de rebus gestis Francorum cap. 8.

Scire hic poteris, hoc supplicio damnatos (vt ex rebus gestis Quintini & Ferutij martyrum & locis Gregorij Turonensis dudum notatis patet) fuisse illomet temporis spatio, quo trochleis discerpebantur, aut fustibus cæsos, aut facibus adustos, aut denique sulphure, resina, oleoque feruentibus, & consimilibus perfusos. Quamobrem in Actis B. Quintini hæc verba conscripta reperiuntur: Tunc Præfectus tyrannico furore commotus, sanctum Quintinum in tantum trochleis torqueri præcepit, vt membra eius a suis iuncturis vi durissima solui cogerentur: resticulis insuper ferreis eum cædi, & oleum candens, & picem, & adipem feruentissimum dorso infundi iussit, ne quid pœnæ aut cruciatus corporeis deesset doloribus: sed cum hæc necdum satisfacerent insanissimo Riçtiouaro (sic enim nominabatur Præfectus) ad satiandam eius sitis immanissimam rabiem, applicari etiam faces ardentes iussit, vt vel flammis, &c.] hucusque res gestæ beati martyris Quintini.

Que patiebantur martyres, diu trochleis extendebantur.

Martyres trochleis eleuati.

Postremo loco animaduertere possumus, Christianos non tantum trochleis fuisse extensos, verum etiam sublime iisdem eleuatos, eo modo, quo temporibus istis rei mortis, reuinctis post terga manibus, extorquendæ veritatis causa, fune eleuari solêt.

Hoc cruciatus genere affectus legitur sanctus Christi martyr Seruus, de quo septimo Idus Decemb. hæc in Martyrol. Romano:

Tuburbi in Africa natalis sancti Serui martyris, qui in persecutione Vuandalica sub Hunnerico Rege Ariano fustibus diutissime cæsus, trochleis frequenter in sublime eleuatus, atque icu celeri super filices pondere corporis demissus, & lapidibus acu-

Martyres trochleis eleuabantur.

Sancti Serui martyrium.

F

tissimis

tissimis perfricatus, martyrij palmam adeptus est.] hætenus Martyrologium Romanum. de hoc eodem martyre plura Victor de persecutione Vuandalica lib. 3.

De Torculari.

*De Torculari
torquendi instru-
mento.*

Premebantur Christiani torcularibus, eo prorsus modo, quo vuæ oliuæque, ad vinum atque oleum exprimendum, iisdem premuntur. Cruciatu fuit huiusmodi martyrio præclarissimus Christi miles Ionas, de quo in Actis eius ab Isaia Adami filio scriptis Lipomani 7. & Suriij 2. hæc narrantur:


Torcular afferri iusserunt, scilicet magi Perfarum, & in eo sanctum, id est, Ionam, poni, vehementerq. comprimi, ac dissecari. Fecerunt ministri imperata, ipsumq. in torculari compresserunt, & omnia illius ossa confregerunt, deinde ipsum medium dissecerunt.] hæc ibi.

De cochlea.


Ceterum interpres, ubi nos torcular posuimus, cochleam vertit; & certe, ni fallamur, minus proprie: nam (vt inquit Acta) positus fuit S. Ionas in ea machina, in qua compressus, singula eius ossa fuere confracta. At quis iam non videat non fuisse vertendum cochleam, sed potius instrumenti pressorij nomen, nempe, torcular? In cochlea siquidem (quæ in torculari est lignum erectum clauiculatim striatum, quo prælum, dum vertitur, aut attollitur, aut demittitur) nulla res ponitur, vt comprimatur; hoc enim (vt docet Columella lib. 8. cap. 50. & experientia ipsa pariter) fit sub tabula illi affixa, quæ prælum nuncupatur. Non debuit igitur interpres, cochleam, sed magis torcular exprimere. Verum id fortasse nõ curauit, vel quia partem pro toto desumpsit, vel quia verbis Græcis nimis addictus fuit: Græcorum namque mos est, vt nonnumquam instrumenta cum in, præpositione, cõstruant, vt verbi gratia, Diligo te in toto corde meo; & appareo tibi in vestibibus albis: id est, corpore vestibibus albis indutus appareo tibi; & corde, quod intra me est, eo toto, amore te prosequor. Quocirca poni in cochlea, est poni in instrumento cochleam habente; & in cochlea comprimi, est existentem in
machina

*Prælum in tor-
culari quid sit.*


machina cochleam similiter habente, ea comprimi. Ceterum
 quia (vt diximus) plus æquo fuit interpret verbis Græ-
 cis addictus, idcirco mirandum minime est si sen-
 tentiam auctoris non bene verbis Latinis ex-
 presserit: locutionem etenim Græ-
 cam ad verbum in Latinam ver-
 tit. Et de rotis, trochleis,
 & torculari hac-
 tenus.



- A* Martyres quandoque rotis, mucronibus vndique affixis, ligati, super cuspides ferreos circumagebantur :
- B* Aliquando, quibus affixi non erant prænotati mucrones, super cuspides item ferreos.
- C* Aut saltem, vt misere vitam finirent, super ardentis prunas.
- D* Demum rotarum conuexis alligati, e loco sublimi præcipitabantur.
- E* Aut rotarū radijs inexti, sic ad plurimos dies, vt interirent, relinquebantur.



- A* Martyres torculari premebantur, eo prorsus modo, quo vna oliuæq. ad vinum
oleumq. exprimendum premuntur.
- B* Trochleis extendebantur.
- C* Iisdem item eleuabantur.



A. H. ...
B. ...
C. ...